



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monumenta Paderbornensia

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Lemgoviae, 1714

Manes Ferdinandaei, Sive Lessus Et Lacrumae Parentales ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-8040

MANES
FERDINANDÆI,
SIVE
LESSUS ET LACRUMÆ
PARENTALES

QUAS
è quinario LUGENTIUM fonte collectas

FUNERI
REVERENDISSIMI AC CELSISSIMI
DOMINI,
D. FERDINANDI
EPISCOPI PADERBORNENSIS
& Monasteriensis, Burggravii Strom-
bergensis, S.R.I.Principis, Comitis in Pyrmont,
Dynastæ in Borkelo, &c.

mærens affundit

PALLAS THEODORIANA
Collegii Societatis JESU Pa-
derbornæ.

Anno Salutis MDCLXXXIII. Tertio Nonas
Augusti.

PLANGITE
ANTE
EXQUIAS
ABNER.
QUONIAM
PRINCEPS
ET
MAXIMUS
CECIDIT HODIE.

2do Regum Cap. 3tio.

LESSUS I.

UTRIUSQUE PATRIÆ.

Pupilli facti sumus absque PATRE. I br. C. 5.

Ergone funereas NEUHUSIA Limina taxos?
 Ergo tuas adolescent atra Cupresse faces?
 Ergo Paludatis succedit Præfica tectis?
 Porticibusq[ue] nigris carmina nigra canit?
 Heu! video tragica lassatum mole fererum,
 Quod pulsat querulo Nænia moesta sono.
 Undique funestæ fera mortis oberrat imago,
 Exuviusque suis imperiosa riget.
 Ergone *Fernandum* (lacrymæ permittite vocem)
 Ergone *Fernandum* (vincita quid ora stupent?)
 Ergone *Fernandum*, Dominumq[ue] piumq[ue] Parentem
 Abstulit immitti trux Libitina manu?
 Vixit? & atrata squallet *Fernandus* in urna?
 Heu! Pater! (a) heu! animæ portio magna meæ!
 Occidit? Heu nostrum præsenti Funere Funus!
 Occidit? & secum gaudia nostra tulit?
 Occidit? Heu passis mœrens *Elegia* capillis;
 Ut Progne querulis ora resolve modis.
 Occidit? & caros video pallescere *Manes*?
 Depositum cordis cerno rigere mei?
 Tene Pater talem Nati spectare relieti.
 Cogimur? Heu nostris invida fata bonis!

Illa-

(a) Dicitus Pater Patriæ. Ita Wallius: Diceris & Patriæ quam regis esse Pater.

Illane Frons (*b*) geminis quæ nuper eburna tiaris?
 Heu! modo lethali frigore pigra stupet?
 Vosne oculos, nostræ quæ sidera bina salutis,
 Clausit in æternum ferrea Parca chaos?
 Illane, (*c*) quam Latii toties stupuere Quirites,
 Et septem geminis Roma superba jugis;
 Illane (*d*) quam cupidis mundi Pater auribus hausit
 Magnus *Alexander*, mortua lingua filet?
 Mortua lingua filet? stygiasque tenere sorores,
 Et rigidæ nequijt sistere fila colus?
 Quæ (*e*) duras etiam potuisset flectere cautes;
 Et quicquid silicum scrupula terra parit?
 Heu! nimium cæco Mors debacchata furore!
 Impia! nil sacra tangeris ergo mitra?
 Et furis in Dominos nullo discrimine fasces?
 Nec cohibet falcem Celsa Tiara tuam?
 Aut si cæca furis, primo cur funere mergis,
 Cur rapis æternos qui meruere dies?
 Siceine Te Princeps quæ sors modo prospera venit,
 Eripuit, Pylios vivere digne dies?
 Tu Patriæ non ista tuæ promissa dedisti,
 Cum nupsit meritis Bina Tiara comis,

Spes

- (*b*) Episcopus & Princeps Paderb. & Monaster.
- (*c*) Princeps latinitatis Romanæ habitus ab Augustino Favorito & tota Humoristarum schola.
- (*d*) Fabium Chisium Alexandrum, sepe antiquitatum cognitione
sæpe historia sæpe Poësi oblectavit, a quo, quod rarum in Germanis & Peregrinis est, inter familiares admissionis intimæ, ad cubiculi Pontificii prærogativam admissus.
- (*e*) Eloquentia naturalis & artificialis FERDINANDI Principis,

Spes equidem nostras feris extendimus annis,
 Idque saeris petuit pinguis acerra focus. (f)
 Sed *Fernande* jaces; seros intercipit annos,
 Et resecat medias Parca severa preces.
 Cernimus atratae spectacula squallida pompa,
 Cernimus exequias, justa suprema, tuas,
 Quoque virens nuper frondebat vertice *Laurus*,
 Cernimus illuviem repere taxe tuam.
 Quam cito ludenti succedunt nubila Phœbo!
 Quam fugiunt celeri gaudia nostra pede!
 Nemo diu felix: quæ nunc fors blanda jocatur,
 Versa repentinis interit acta malis.
 Fortunata (g) fuit, tantoque Parente triumphans
 Credidit augustos *Westphalis* ire dies.
 Alma quies (h) divesque labor se, Numine misto,
 Ubere fundebant lata per arva sinu.
 Lætius erectos diffuso vertice ramos
 Pandebat Satyris associata Dryas.
 E cœlo niveis Pietas demissa columbis
 Fertile stipabat flore comante solum.
 Alma maritabat foecundo fœnore terris
 (i) Spicigerasque Ceres, accumulabat opes.
 Bella procul, scelerumque minæ, ferrique licentis
 Et patriis aberat vis inimica bonis.
 Tanta sed heu! moriens traxisti gaudia tecum,
 Nunc, quo Tu, tumulo gaudia nostra jacent.

(f) Inge-

(f) Vota & Preces per patriam pro optimo Principe indictæ & ha-
bitæ. (g) Felix patria Ferdinando Principe.

(h) Fertilis patria Ferdinando Principe.

(i) Pax continua sub pacis Principe Ferdinando unde Comirius:
Fernandus Paderæ mitis Regnator amœna.

Ingemit Uda Ceres, (k) inclinatoque capillo
 Deplorat pretium succubuisse suum.
 Macrescunt steriles exangui vertice culmi,
 Et gravidum ponit tristis Arista caput.
 Turba Colona pigro lachrymas aspergit aratro,
 Et queritur Cereris publica damna sua.
 Harent verba seni, sentit sua fata juventus,
 Et propiore rogo militis ora stupent.
 Ex aequo fors illa premit: neque simplicis urnam
Principis at cunctos lugubris urna quatit.
 Ah! una Lachesis nos omnes clauderet urna!
 Juncta que cum patriis ossibus ossa forent!
 Quid spirare juvat? rigidam Mors verte bipennem;
 Parti animae nescit pars superesse sua.
 Felices! tumulo claudi si possumus uno,
 Et tantæ comites si licet esse necis!

LESSUS II. FAMILIÆ FURSTENBERGICÆ.

Cecidit corona capitis nostri. Thr. 5.

LUna saporiferum disperferat axe papaver,
 Humida rorisluis vecta per astra rotis.
 Cum pavida mente tremefecit imagine Morpheus,
 Assuetus dubiis ludere vera jocis.
 Mons (a) erat augusto sinuatus in æthera cono
 Äqualis capiti Pinde superbe tuo;

Aut

(k) Lugere videtur quoque cœlum pluvias a morte Ferdinandi
 continuas hucusque lacrymans.
 (a) Fürstenberg, mons Principis merito comparatus cum Parnasso.

Aut qui Pierias lassat mons Cyrrha quadrigas;
 Sed tamen ad latices Nympha padusā tuos.
 Qua socio Lupiæ comitatus Aliso maritat,
 Lætaque cœruleo prata tridente ferit.
 Fons salit in medio vitreis argenteus undis
 Dictus Apollinei Castalis esse chori.
 Scilicet hoc socias potabat (b) Apollo sorores,
 Et sua tingebat saepius ipse labra.
 Cinxerat hunc densis Laurus Phœbea coronis,
 Nescia solaris lumina ferre facis.
 Hic domus Aonidum, viridi quæ semper in umbra
 Fallebant placidis otia blanda modis.
 Hanc prope declivi stantes in vertice (c) Palma.
 Jactabant virides lata per astra comas.
 (d) Altior una tamen superisque propinquior oris,
 Umbrabat reliquas luxuriante toga.
 Hanc trabeatus honos merito circumdabat ostro,
 Creditus æternas hic posuisse domos.
 Pulchra coronandis sudabat Gloria ramis,
 Frondibus innectens aurea ferta sacris.
 Fixerat hic multo luctatam flore corollam
 Officiis Pietas obsequiosa suis.
 Hanc mihi dum grata pingit caligine Morpheus,
 Et prope deliciis mens liquefacta natat:

(f 2)

En

- (b) Familia Färstenbergica virorum eruditissimorum parens: qualis Wolfgangus magni magisterii in Borussia Administrator, & Ordinis Teutonicis per Germaniam & Italiam Magnus Magister. Qualis Theodorus Epis. & Princeps Paderborn. Qualis Frider. Hermannus, Wennemar Casparus & alii, omnes hodie dum Prælati, unde de domo Färstenbergica Comirius: - illa coronis Implicitas lauros,
 & frondes mitis Oliva, Non semel est mirata suis inserpere ramis.
- (c) Fratres, Sorores, Nepotes, ac Neptes Ferdinandi Principis.
- (d) Princeps Ferdinandus gloria per orbem fama Illustrissimus.

En tibi *Fernandi* gravido de cortice nomen
 Sculpsit inaurato Gloria justa stylo.
 Ut vidi, ut stupui, sensimque stupore solutus
 [Ut rediit voci reddit a lingua suæ]
 Crescat, & æterno, geminabam, *Palma* virore,
 Crescat io! lætas trudat in astra comas.
 Crescat io! pluviasque supra se porrigat ædes,
 Nimborumque truces, lurida regna, domos.
 Vincat Hyperboreos, fidus glaciale, Triones,
 Nullus ubi virus sibilet ore *Draco*.
 Nullus ubi mœstam resupinet *Aquarius* urnam,
 Scorpius aut crudæ spicula mortis alat,
 Nullus ubi sævum succendat *Oriona* livor,
 Sive Cleoneæ concitet arma feræ,
 Tot pariat fructus, quot parturit illa corollas;
 Crescat, & hanc supero nectare potet Eos.
 Hæc ego vota dabam: Sed quam variabilis aura est!
 Gratia quam sortis nulla, nec ulla fides!
 Cerno repente polos crebro mugire tumultu,
 Fulgura densatis ire coacta minis.
 Obruit informem spissatis nubibus orbem,
 Totus & in lachrymas fusus Olympus abit.
 Tunc vero quantis arserunt pectora curis!
 Excidit, Heu, misero vox aniinusque mihi.
 Sed, [prò fata Deūm] stygiis [e] mox profilit umbris
 Sanguineum quatiens ossea larva caput.
 Heu funesta ruit, celso qua culmine surgit
 Et vibrat æthereas *Palma* beata comas;

Sacri-

(e) Primo tentatur morbis.

Sacrilegamque simul plantæ Dea lurida falcem
 Injicit extremam ferre parata necem.
 Clamabam: quo cæca ruis? sic partus honoris
 Occidet ante suum præcoce clade diem?
 Verte precor sicam, funestam verte bipennem:
 Vilius, haud renuo, planta resecta cadat.
 Heu dolor! illa minax repetitos duplicat ictus,
 Et Divum tragicò funere mergit opus: [f]
 Gloria moesta fugit, ritu lacerata furentis,
 Insolabilibus plangere certa modis.
 Palma [g] minor lacrymas laxato cortice fundit,
 Vertice cumque suo se periisse putat.
 Non sic Heliadum ploravit sylva sororum,
 Ad fratris cineres sœvaque busta sui.
 Sic Dodoneæ nequierunt plangere quercus,
 Exscidit ut sacrum barbara sica nemus.
 Has ego dum lacrymas lacrymis contemplor ob-
 ortis,
 Mens mihi discusso plena sopore reddit.
 Non tamen heu! vana me lusit imagine Morpheus,
 Delituit ficto schemate triste nefas.
 Eheu instabilis momenta fugacia vitæ!
 Gaudia quam celeri tantque caduntque mora!
Fürstenbergiacæ [quid non mors improba tentas!]
 Fernandum video, spem cecidisse dominus.
 Augustam video de *Principe culmine* [h] palmam
 Præproperæ nimium succubuisse neci.

(f 3)

Audio

- (f) Quibus tandem succumbit.
- (g) Cognatio lugens.
- (h) Von Fürstenberg.

Audio plangentis lugubria carmina *Stirpis*,
 Quæ querulo dicitat mixtus amore dolor:
 Sic [i] *Domina trabs magna domus?* sic gloria gentis?
 Sic *capitis cecidit celsa corona mei?*
 Credideram, *Fernande*, meos tibi semper honores;
 Et tu spem medio flore, decusque rapis?
 Quod Libitina ferox, quod te male Numen adegit
 Tam volucri columen rumpere fine meum?
 Heu male sit vobis, tetricæ, mala Numinæ, Parcæ,
 Quæ rapitis cari quidquid is orbis habet.
 Heu vixisse juvat: Tecum comitamus in urnam.
 Nolumus & fatis nos superesse tuis.
 Quin morimur tecum? Fratris Phactontias um-
 bram
 Dicitur ad Stygios esse secuta lacus.
 Sed neque Pelides media sub morte reliquit
 Actoriden; similem maluit ultro necem.
 Pyrithoum Theseus imum comitatus in orcum est,
 Nec potuit carum destituisse latus.
 Dum Nisum rapuit Rutulorum barbarus ensis.
 Euryalum nequijit vita tenere suum.
 [k] Siste tamen generosa domus, ne cede dolori,
 Ferdinandam fas reparare vicem.
 Plurimus in vobis semper *Fernandus* avorum
 Et decus, & vestræ Gloria *Stirpis* erit.
 Constant magna sibi: clara de gente nepotes
 Statis adhuc, dignæ posteritatis honos.

OEDIPUS

(E 1)

LES-

(i) Insigne illustrissimæ familie trabs duplex.

(k) Omen Poëtæ.

LESSUS III.

RELIGIONIS.

Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum! l.s. Mac.c.9.

Erone post tragicos, tam tristia funera, casus
Relligio! fatis defuit ille tuis?
Ut tanto Libitina ferox te tangeret ictu?
Et raperet solem præcoce nocte tuum?
Heu mihi! Relligio! quantæ tibi gloria lucis,
Occidit in cæcum, non revocanda, chaos!
Scilicet, hinc pullo cœlum modo plangit amictu,
Astraque sunt lacrymis pene sepulta suis.
Hinc [a] est, cur gelida Boreæ sub parte Triones
Aspergant rapido flumina tanta mari,
Hinc Ariadna comis niveos subducit honores,
Et flens Arctophylax languida plaustra rigat.
Andromedeque nigro plorat circumdata peplo,
Et lacerat mæstos Cassiopeja sinus.
Hinc Lyra funereo concentus carmine turbat,
Et tremulo tristis gutture plangit Olor.
Hinc prope se flentem turbatus Persea spectat
Pegasus, & guttis grandibus ora quatit.
Omnia pallescunt tantis cum Manibus astra,
Deplorantque suum succubuisse jubar.
Ibas, laurigeris nuper subvecta quadrigis,
Lambebat Dominas Hæresis atra rotas,

Ibas

[a] Signa cœlestia siderum septentrionalium lugentia, Ferdinandum
Principem, per quem in septentrione illustrata per Apostolicas
missiones Religio.

Ibas, (*b*) Amisiis virides qua plurimus agros
 Impetit, & crebro flumine prata secat.
Ibas, (*c*) qua coluit loca foeta palustribus undis
 Brueterus, & Vari rapta tropaea tulit.
Cæfareis domitos Carolus qua Saxonas [*d*] armis
 Compulit augusto subdere colla jugo.
Qua se Martigenis [*e*] Nassavia nota Sicambris
 Erigit, eductis celsa sub astra jugis.
Non tibi, quæ gelido [*f*] Norvvegia subdita plaustro;
 Non tibi neccebat Juttia cruda moras.
Ibas, qua fugiens ripis spumantibus [*g*] Albis
 Cœruleo credit flumina vasta Patri,
Cuspide [*b*] Lubecam Tethys qua torva flagellat,
 Et tumido Nereus Balthicus ore ferit.
O quoties fractis ibat tibi cornibus [*i*] Indus,
 Et Ganges domitis plaudere visus aquis!
Non tibi substructos claudebat in æthera muros,
 Quamlibet æratis Sinica clausa seris.
Nunc, Heu! erepto cecidit tua gloria sole,
 Ut rosa, cum Phœbo deficiente cedit.
Fallor? an ad tumulum canos turbata capillos;
 Exsuccisque sedet pallida Diva genis?
Audio, funereum perfundit fletibus urnam,
 Lugubribus plangens pectora sœpe modis:
Ergone terribili late grassata flagello
 Sic piceas quassat trux Libitina faces?
Ut caligantes solem mihi trudat in umbras,
 Qua fur vos habitat nox inamœna specus?

Heu

[*b*] Missio apostolica ad Amasim.[*c*] Missio apostolica per Dicecesin Paderb. & Embsland.[*d*] Missio apostolica ad Visurgim & alibi per Saxoniam inferiorem;[*e*] Missiones per Nassaviam.[*f*] In Norwegia, Fridericopoli in Juttia.[*g*] Hamburi & Gliicstadii ad Albim.[*b*] Missio apostolica Lübecensis.[*i*] Missio apostolica ad Indos, & extremos Anus, fundata 8. personis.

Heu mihi! quot terfa nigredine templa, [k] quot aræ
 Fulgebant radiis, Maxime Phœbe, tuis!
 Quot nova libratis ibant in sidera conis,
 Quæ vel Atlanteo templa tremenda jugo.
 Sed leviora queror Patriæ dispendia lucis.
 Ah! nequit is simplex, qui nocet esse dolor.
 Eheu! (l) Angaricis quod montibus occidit astrum,
 Quod tibi Saxonici Nympha dolenda soli!
 Heu quantum dilecta tibi (m) Nassavia lumen
 Occidit! Heu quantum Frisia cara tibi!
 Cana videbatur pietasque fidesque redire,
 Et male neglectis redditis cura sacriss;
 Et, veluti roseum cum Cynthius exerit ostrum,
 Cogit in assuetos lurida Monstra specus,
 Sic dudum stygio quæ venerat Hæresis antro,
 Ad Fernandeum cedere visa jubar.
 Jamque calescebat tanto sub lumine Sina,
 Tot desideriis Sina petita meis!
 Nunc moreris pariterque tuo cum funere condis,
 Heu dolor! Heu! vitæ pignora cara meæ.

(g)

LFSSUS

[k] Reparata templa, & altaria, exstructa nova. Templum parœciae in Tudorp. Templum parœciae in Oberenkircken Furstenbergiorum Dynastia, ibidein Sacellum gentilitium SS. Philip. & Jacobi Templum Bustorffianum ara maxima & porticu ornatum. In Graffschaft templum Ordin. S. Bened. ara maxima & novis in utroque latere positis exornatum aris. In Marien-Münster templum Ord. S. Bened. novo fornice & aris. PP. Francisc. de Obs. templum cum cœnobio e fundamentis exstruxit, in urbe Paderb. Ibid. a fundamentis posuit PP. Capuc. templum. Ibid. novum & augustum opus molitur PP. Soc. JESU. Neuhusii templum a fundamentis exstruxit. In Cörbeke collapsum restituit. In Lichtenow incendio deformatum S. Crucis templum exstruxit. In Altenbeca S. Ph. Nero facell. ex voto positum perfecit. Sacellum S. Annæ exstruxit in Ammeru. In Siddeessen Sacellum S. Agathæ. Warburgi facell. S. Erasmi ibid. cœnobium PP. Præd. restituit.

[l] Angaria patria missione Apostolica aliisque favoribus instructa.

[m] Uti Frisia & Nassavia missione apostolica.

LESSUS IV.

MUSARUM RAPTO APOLLINE.

Versus est in luctum chorus noster. Thr. 5.

A Onidum lugete chori, sumptaque cupressu

Demite turbatis laurea ferta comis.

Quales vos memorant Thracum planxisse per agros,

Cum tumulum nati fleret Apollo sui,

Omnes funerea redimitæ tempora fronde,

Funeris ad tristes approrate rogos.

Heu! quantum rapuit non exorabile fatum

Præsidium (*a*) vestri, deliciumque gregis!

Occidit Ausoniæ trabeatus Apollo camœnæ;

Occidit Arctoæ gloria prima lyræ.

Illa caledonios super exaudita recessus;

Quæ nequiit spatiis, (*b*) Belgica, stare tuis.

Illa per Hesperias fundens sua barbita terras,

Occidit; & tumulo condita musa jacet.

Cujus in augusto laurique mitræque coibant

Vertice, perpetuo muta sopore tacet.

Ah tacet, ah tragica recubat *Fernandus* in urna!

Fernandus, clari quanta ruina chori!

Ah tacet, en picea dependent barbita taxo,

Barbita, quæ digitis, mors temerata, tuis.

Heu mihi! qua geminas jaculatur Cynthius umbras,

Cunctaque qua surgunt sidera, cuncta cadunt.

Heu mihi! qua cancri chelis subjecta Syene.

Sistit Apollineas ultima meta rotas.

Huc citharæ penetravit honos, tantumque videre

Sæpius optavit quælibet ora decus.

Nunc, *Fernande*, files, muta compostus in urna;

Suada jacet riguis desuper uda genis.

Plan-

(*a*) Excellens Poëeos scientia.

(*b*) Per Belgium a Poëtis variis laudata.

Plangite Pierides citharamque aptate dolori,
 Atraque funereo dicite verba die.
 Heu! video, Pindi jam tristia tecta centur,
 Et Domini fulcit Musa regentis onus;
 Fulcit, & ingenti tundit præcordia planctu,
 Et putat, hoc, funus, funere, ferre suum.
 Cerno præit tragicos induita Thalia (c) cothurnos,
 Squallida diffusis mœsta per ora comis.
 Hinc sequitur claroque ferit plangore lacertos,
 Et societ lacrymas Musa, (d) Ruæ, tua.
 Inde Fatiscenti mœrens Elegæia passu
 (e) Commirii, sensu deficiente gemit.
 Nænia (f) Frizonis tristes hinc scissa capillos
 Immodico nimium busta dolore quatit.
 Hinc feretro lacrymas aspersit mœsta (g) Rapini
 Melpomene, similes ferre parata rogos,
 (h) Francius hinc atra velatus tempora Myrto
 Funereæ tendit tristia fila lyræ.
 Inde coronatus Dircæi carminis ales
 Perrerius, laurum damnat & artis Ebur.
 (i) Audio, jam caros inclamat Pallida Manes
 Pieris, ah! luætus nescia ferre suos.
 Sic miseranda jaces? uno sic cuncta recedunt
 Turbine, Musarum sic decus omne rapis?
 Heu non Aonides hoc speravere sorores,
 Cum (k) capiti lauros implicuere tuo.
 Cum calami jus omne sui transcripsit Apollo,
 Palladiique ducem maluit esse chori.
 Sic properata fugis duræ per funera mortis?
 Irrita sic Phœbi votaque spemque facis?

(g 2)

Sic

(c) Nomina Poetarum Ferd. Principi Mæcenati optimo sua opera dedicantium.
 (d) Ruæsin Dramaticam panegyricos, & symbola Heroica. (e) Commirius
 lib. 3. partim Heroicos, partim Lyricos, partim Elegos. (f) Varios Tomos Frizon.
 (g) Rapinus lib. sex florum, herb. arb. (h) Francius varios Heroidum libr. pane-
 gyricos & elegiacos. (i) Perrerius varia opera. (k) Nobilissimi Poëæ Itali,
 quales Natalis, Rondininus, Alexander, Pollinus, Augustinus Favoritus Ferdinandus
 do Principatum detulere.

Sic *Fernande*, jaces? lacrymataque plectra recondis?
 Plectra per Ausonias deproperata fides?
 Quis per Cecropias ibat Te suavius artes?
 Seu Tibi testudo, seu Tibi tacta chelys:
 Te quoties crispante lyram, per Phocidis agros
 Caſtalios vidi ſubſiliſſe lacus.
 Admirata tuos quoties Acheloia cantus
 Audiit, & grata barbyton aure bibit!
 Dum præceps Aonio rapidis decurreret undis,
 Ad cytharam preſſo ſæpe tridente ſtetit,
 Hæſit ſæpe (*l.*) Tibris, fulvaque reclinis in urna,
 Flumina præcepit lentius ire ſua.
 Saxofos quoties inclinas Rhetia montes
 Comploſis cecinit gaudia festa jugis!
 Et quoties scopulis ibant plaudentibus Alpes,
 Dextera cum niveum ſollicitabat ebur.
 At neque ſola tenes auritas Rhetia rupes,
 Tu neque mirantes Albula ſolus aquas.
 O quoties *Fernande*, tua teſtudine capta
 Conſtitit Angarici patria terra ſoli.
 O quoties avidis (*m.*) Rhenus Pater auribus haufit,
 Et quoties numeros Padera Nympha tuos!
 Attonita quoties ſcifſis e fluſtibus aure
 Audiit Aonios conſonus Alpha modos!
 Unus eras, qui cuncta dares, non Thracius Orpheus
 Suavius immitem crimine flexit Hebrum;
 Aut celeres blando remoratus pectine ſylvas
 Detinuit Dryadum, ſaxe regna, domus.
 Et moreris? fera mors! uno quod diſcidit i&tu!
 Pierides tantum quod potuere nefas?
 Quod ſoboles dilecta Jovi? quo numine læſo
 Tam grandis culpæ credimur eſſe reæ?
 Et moreris? cur Phœbe tuos incidiſ honores?
 Et leve nos, genitor, deſeruiſſe putas?

Ergone

(*l.*) Cum' applauſu Cardinalium ſæpe Ferdinandi Poëſis excepta & per Italiae fines com-
 mendata. (*m.*) Muſis Coloniae aspirantibus in familiaritatem venit Fabii Chiſii
 Nuntii Apoſtolici poſt Pouſtificis Maximi Princeps Ferdin.

Ergone rupisti longæva silentia Cyrrhæ;
 Ut seneant subito squallida plectra situ?
 Invia vix nobis Aganippidos antra recludis
 Et moreris? laurum taxea ferta premunt?
 Heu Libilitina ferox! Heu cur festina nocendi
 Præcipitas rigidas, stamina læva, colos?
 Cyrrha vale, Phœbique domus, non Phocidos amnis,
 Non levet ipsa meam Castalis unda fitim.

LESSUS V. FLUVIORUM

Per Monumenta Celsissimi FERDI-

NANDI Principis illustratorum.

Fluvius desolabitur & deficient flumina. Isaia 19.

Heu mihi (a) padericæ nigra cur *Najades* alga
 Cur pavido plangit Cœrula Nympha vado?
 Cur ululante fremit per stagna liquentia fluctu
 (b) *Paderis*, & lacrymis exarat ora suis.
 Cur circumfusis spargens suspiria campis,
 Littora confuso radit (c) *Aliso* pede?
 Fallor? an (d) *Amisius* spumantia pectora musco
 Verberat? & rauco terga tridente ferit.
 Fallor? an impexo serpens per jugera mento
 (e) *Luppii* plangentes triste flagellat aquas?
 An ferruginea velatus fronde (f) *Visurgis*
 Illidit querulis cornua torva petris!
 Quælibet atrato *Nais* lacrymatur amictu,
 (g) *Fons resonus*, luteas nunc bibt ater aquas.

(g 3)

Qui

- (a) Fontes & fluvii paderici a Celsissimo FERDINANDO Princ. monumentis illustrati lugent non secus ac olim cum Francorum & Romanorum cladibus sæpe funestati.
- (b) Padera lugens. (c) Aliso vulgo Alma fluvii nomen & Castelli quod contra Sicambros Nero Claudius Drusus ad Luppiæ & Almæ confluentes posuit ita Vellejus Patrc. 1.2. Tacitus lib.2. (d) Amisius fluvius Roman. notissimus Dicec. Paderb.
- (e) Luppii fluvius Dicec. Paderb. (f) Visurgis fluvius lambens Dicec. Paderb.
- (g) Fons resonus vulgo Bulderborn Dicec. Paderb. mira natura prædictus & frequentibus Principum virorum conyiviis & excubiis celebratus.

Qui nuper niveis ibat Crystallinus undis
 Fletibus urna crepat pene sepulta suis.
Castalio (b) *Padulus* nuper qui purior auro
 Vincebat latices fons Arethusa tuos,
 Heu mihi! quis subitos feralis turbo dolores
 Asperat, & lacrymas Hospita Nympha tuas?
 Gallica num rursus lymphas ad prælia cogunt
 Agmina? num rursus Francica signa volant?
 Rursum ab edomito (i) *Pipinus* Saxone clarus
 Inficit attonitas cæde *Vifurgis* aquas?
 (k) *Luppia* num rursus cladis monumenta latinæ
 Imperii volvit nobile pignus, aves?
 Aut iterum (l) *Warnam* germano sanguine tingit
Carolus Austrasiæ terror amorque suæ!
 (m) *Quinctilius* Itygiis *Varus* redivivus ab umbris
 Flecit in Arminium bella cruenta Ducem?
Amisiique lacus fusa legione colorat
 Stratus ab auspiciis, Marse superbe, tuis?
 An *Vari* ulturus *Cæsar Germanicus* (n) umbram
 Strage tua Sennam *Bructere* cæse notat?
 Anne (o) Sicamber atrox sumptis truculentior armis,
 Relliquias *Druſi* sacrat *Aliſo* tibi?
 Heu mihi? cur piceam spargentes fletibus urnam
 Najades insolitis plangitis ora modis?
 Fallor? an e querulis affibilat aura lapillis,
 Aura repentina nuncia dura mali?
 (p) *Te Fernande* Pater, te flumina mœsta requirunt,
 Ad citharam steterant quæ rediviva tuam.

Audio

(b) Fons Padulus ante Neuhuf. Principum Paderborn. sedem. (i) Pipinus Francorum Rex ad Vifurgim Saxones fudit, ita Annales Francici apud Reuberum.
 (k) ad Luppiam Rom. exercitus ad internecionem deletus est. (l) Ad Warnæ & Vifurgis confluentes iterum Carolus Saxones cecidit. Regino aliqui Francici Scriptores. (m) Varus cum exercitu integro Romanorum ab Armino & Marfis inter Amasis & Luppæ fontes cæsus. Ita Cuspinianus in vita Cæs. in Oft. Aug. (n) Bructeros hodie Delbrugios Germanicus Cæsar Varianæ cladis ulti Amisum inter & Luppiam cecidit. Ita Anna, Franc. 1. c. 6. (o) Sicambi Druſi exercitum ad Aliſonis confluentes varia clade afflixerunt, ita Cluverius 1. 3. antiquit. Germ. cap. 9.
 (p) Dicitur Ferdinandus Pater: eruit enim fluyos hos ex squalore tuo per Monumenta Carminibus clangentissimis illustrata.

Audio succentis jam dividit ora querelis
 Paderis, a magno maxima Ny:npfa (q) pado.
 Ergo (r) tot hospitiis Regum memoranda tot armis
 (s) Consiliisque fui, Carole, digna tuis?
 Ergo (t) ter Augustum merui spectare Leonem,
 Pontificisque sacros lambere prona pedes?
 Ergone tot licuit Comitia cernere Regum
 (u) Fixaque liminibus Francica signa meis?
 (vv) Ergo tuos licuit Cunigunda videre triumphos,
 Cum caperent castæ regia serta comæ?
 Nunc indigna fui tantum retinere parentem,
 Cui mea splendorem debuit urna suum?
 Heu dolor; heu media dum flebilis amnis in urbe
 Fluxerit in media lugubris urbe gemam.
 Fumabunt calido suspiria mœsta dolore,
 Dum labyrinthæo prata secabo pede.
 Hæc eadem querulo trepidus respondet ab antro,
 Amisus centum lapsus in æquor aquis:
 Ergone nunc pigra cogor squalere sub alga,
 Et piceo fluetus deglomerare vado?
 Hæc ego [(x) cum puros puro mihi marmore nuper
 Eliceret latices] non tibi vota tuli.
 Tunc equidem seros meritis pro talibus annos
 Et Pylios vovi tempora cana dies:
 Crescite Fernando, sic crescere sæcula, dixi,
 Aucta velut nostræ gloria crescit aquæ.
 Nunc tamen heu! diræ, Crudelia Numina, Parcæ!
 Occidis, & nostras spesque decusque rapis!
 Reddite Fernandum, mihi reddite fata Parentem,
 Invida Fernandum mors mihi redde meum,

Sic

(q) Dicit Padera nomen a Pado. (r) Paderam nobilitant, Imperatorum Regum Germanie & Franciæ hospitia. (s) Comitia Caroli M. ita Eginardus in vita Caroli Magni (t) Hospitium Leonis Pontificis Maximi, ita annales Fuldensi. (u) Francorum conventus, & castrorum metationes. (vv) Imperatoria S. Cunigundis inauguratio. Ita Browerus in vita S. Meinwerci. (x) Amisi fontes ante arenis neglectim profluentes, a Ferdinandø Principe exciso e lapide, margine ornati.

Sic ait, & vultus Taurini cornua frangit,
 Nescius ingentis ferre doloris onus.
 Non aliter priscis memorandus *Aliso Cheruscis*
 Nec semel Ausonio clarus ab hoste gemit;
 Et modo *Fernandum* [raptos sibi queitus amores]
Fernandi repetit nunc sacra busta sui.
 Sic quoque qui domiti pudibundus sanguine *Vari*
Luppii Romuleis casta revisit aquis,
Ferdinande tuis inclamat pallidus umbris,
 Pumicibusque cavis pectora moesta ferit.
 (y) Qualis ab amissa Cæsar legione citavit
 Sæpius inferias, *Vare* cruenta, tuas;
 Liminibusque domus vultus illisit apertos,
Vare, refer, geminans, agmina, *Vare*, refer,
 Redde triumphatas Marso victore volucres,
 Redde *Quirinales*, rapta tropæa, notas.
 Impar saepe suo sic ingemit ille dolori
 Jam te, jamque tuæ pleætra vocando lyræ;
 Quique (z) Padus multo dederat lenimina morbo
 Et medica febrim saepe levarat ope;
 Dat lacrymas diræ solatia frigida mortis
 Dat lacrymas, cineri, justa suprema, tuo.

(y) Nuntiata *Vari* clade adeo consternatum ferunt Augustum, ut continuos mes-
 ses barba capilloque neglecto caput interdum foribus illideret vociferans, Vat
 Quinctili legiones redde. Ita Vellejus, Tacitus, Suetonius, aliquæ. (z) Aqua
 fontis Paduli in febris ardoribus aliquando recreatus fuit Princeps Ferdinandus.

Totam hanc rem per Monumenta illustravit Celsissi-
 mus Princeps FERDINANDUS, & post-
 huma historia reddet.

F I N I S.

